

DE
ELUCUBRANDO LIBRO RELIGIONIS

SUPERIORIBUS GYMNASIORUM CLASSIBUS
ACCOMMODANDO.

SCRIPSIT
FRIDERICUS HESKER.



DE
ETIQUETTA LIBRO BELGIONIS

STUDIORUM GYMNASII CLASSIS

ACCOMMODATO

SCRIPTA

FRIEDRICH HESKER

Proximis annis multi conscripti editique sunt libri, qui discipulis gymnasiorum tradebantur, ut iis ducibus religionem christianam catholicam facilius et accuratius discerent. Quorum alii, in quibus interrogationes et responsiones se invicem excipiunt, pueris, qui classes inferiores frequentant, adaptati sunt, ut ex his catechismis elementa religionis haurirent; alii, perpauci quidem et diversi generis, in quibus praecepta religionis oratione continua tractantur, classibus accomodati sunt mediis. Inter complures vero, qui eo consilio scripti sunt, ut iuvenibus superiorum ordinum conveniant, duo maxime elucet, quorum alter conscriptus est a Conrado Martin, viro clarissimo. Liber divisus est in duas partes, quarum una generalis historiam religionis inde ab initio usque ad nostram aetatem, specialis altera doctrinas singulas et dogmaticas et ethicas continet. Magnis fertur laudibus, in gymnasiis complurium dioecesium usurpatur et maxime eo comprobatur, quod intra breve temporis spatium saepissime renovatus est. Alterum, qui non minore dignus est laude, librum scripsit vir reverendus Clemens Siemers, quondam collega honoratissimus, cuius memoria pie sancteque colenda. Spectatissimi viri opus non solum rebus sapienter electis, verum etiam elegantia, venustate et dig-

nitare sermonis excellit; huius quoque operis editio saepius repetita est. Quum postero tempore brevis narratio historiae ecclesiasticae accesserit, liber redactus est in conditionem etiam meliorem.

Quae quamquam ita se habent, tamen non est, cur ii, qui praecepta religionis christianae per longum temporis spatium in gymnasiis docuerunt, scribere snpersedeant. Numerus librorum, in quibus doctrina christiana tractatur, magnus est, sed si hunc cum numero illorum, in quibus aliae disciplinae exponuntur, comparaveris, certe parvus. Ad hoc si ea, quae in libris iam editis bona videantur, caute eliguntur et, quae minus bona sint, tolluntur, inseruntur autem ea, quae magistri scripturi ipsi excogitaverint, fieri potest, ut opera edantur, quae non parum probanda sint. Quae cum apud animum meum reputarem, iam ante multos annos numerum augere et librum elaborare constitui, qui superioribus gymnasiolorum ordinibus commendari posset. Quum mihi negotium demandatum sit, ut annalibus gymnasii dissertationem quandam praemittam, non alienum puto, hoc loco pauca verba facere, quae ad illum librum pertineant. Pari ratione usus sum anno nostri saeculi quadragesimo tertio, quo anno idem officium secutus sum. Eo tempore primum exposui, studium religionis quid valeat ad excollendas animi facultates, deinde explicavi, quae methodus docendi institui possit libro non comitante, quaeque methodus illo comite adhibenda sit; denique opus, quod me in publicum daturum promiseram, descriptum est.*) Nunc de re simili, sed non eadem disserturus sum. Namque mihi proposui, de rebus tradendis deque methodo, qua tradendae sint, paucis dicere; postremo liber ipse brevi describetur. Et

*) Dissertatio illa inscribitur: „Vorwort zu einem Lehrbuche der Religion für mittlere Klassen katholischer Gymnasien.“

haec pauca, quae facturus sum, verba lubentissime benevolo examini eorum virorum subiicio, quibus provincia eadem divina providentia data est administranda; deinde etiam ceteris collegis et parentibus denique omnibus dedico, quorum interest, ut discipuli catholici instituantur vere catholice. Ad inceptum redeo.

I. Res tradendae.

Si quis interrogaverit, quid discipulis tradendum sit, simpliciter respondebo, religionem, per redemptorem nostrum revelatam et integram conservatam in ecclesia nostra, iis esse patefaciendam. Sed magnus nobis aperitur campus et major extenditur, quam ut eum discipuli peragrarere possint et debeant; limitibus igitur quibusdam eum coerceri oportet. Multa enim sunt dogmata, quae pueri et iuvenes, viri et senes scire et credere debent; nonnulla alia sunt, quae omnes christianos scire non ita necessarium est. Praeterea nonnullae religionis veritates sunt eiusmodi, ut eas homines saepius audire et cogitare ea de causa debeant, ut vitam suam ad earum normam conformare possint; aliae sententiae, quae modo sunt sententiae theologicae, omnino sunt negligendae, quippe quae neque sint de fide neque ad vitam bene instituendam valeant. Ut ea, quae docenda et discenda esse videntur, accuratius exponam, a re non alienum est, pueros, qui cursum gymnasii persequuntur, a classe infima usque ad supremam quasi comitari et, quae doctrinae singulis annis proponendae et explicandae sint, nonnullis perscribere verbis.

Gymnasia, quae in nostra sunt civitate, discipuli novem absolvunt annis hosque annos in tres partes aequales dividere lubet, ut normam significem, quae in tradenda religione sit adhibenda. Quaeque igitur illarum partium comprehendit tres annos et in unoquoque ternorum an-

norum spatio omnia religionis praecepta docenda sunt, ut discipulus, qui gymnasium absolverit, universam doctrinam christianam ter didicerit. Hoc vero non ita intelligendum est, ut quovis hoc trium annorum spatio eadem praecepta et eodem modo tractata percipiat discipulus; quominus id fiat, impedit discentium et aetas et captus. Religio enim non minus, quam ceterae disciplinae aetati humanae applicari debet; quod iuvenibus prodest, pueris potest nocere. Neque ita intelligendum est, ut putes, quodque triennium in duas partes aequales dividendum esse, quarum altera doctrinae dogmaticae, altera ethicae tribuenda sit. Sed res ita instituenda est, ut duo anni disciplinae dogmaticae assignentur et unus modo doctrinae ethicae. Ex hac mea dispositione non licet conici, ethicam minoris a me aestimari, quam dogmaticam. Non enim omnino possumus statuere, alteram graviorem esse altera; etenim dogmatica nulla est sine ethica, et ethica nulla est sine dogmatica. Ne hac ratione religionis docendae ethica negligatur, omnes dogmaticae partes ita tractandae sunt, ut ex singulis propositionibus leges eliciantur, quas discipuli sequi debeant, ut vitam vere christianam agant.

Postquam his verbis significavi, quid omnino discipulis aperendum sit, ad proponenda ea transeo, quae quovis triennio sint explicanda. Quovis triennio, sive pueros instruis sive iuvenes doces, tradendae sunt doctrinae de ecclesia eiusque auctoritate divina, de Deo eiusque natura, de creatione et redemptione et de iustificatione de iisque rebus, quae cum iustificatione arctissime cohaerent. Quodsi discipuli duos per annos haec momenta docti fuerint, tertio anno iis leges promulgandae sunt, quas redemptor nuntiavit, ut omnes homines eas se-

quantur. Explicandae igitur sunt virtutes theologicae, et docenda officia, quae christianus sequi debeat, ut sibi et aliis satisfaciatur.

Sed hae disciplinae, quas iuvenes, qui classes gymnasii percurrunt, ter percipiunt, alio quoque triennio alio modo tractari debent. Primo enim triennio, quo discipuli sunt pueri, dociles quidam sed mente non satis exulta et firma, res summas modo attingere licet, et eae solae veritates explicandae sunt, quas et capere et in usum convertere possint. Praeterea magister, ut aetati se accommodet, non tradendo sed interrogando doceat; parvuli enim illam institutionem continuam sequi non possunt. Hoc aetatis tempore praecipue id curandum est, ut multa edicta redemptoris memoriae infigantur et voluntas obsequiosa ad sequendam voluntatem divinam excitetur. Sin autem discipuli iam in classes medias progressi sunt, expositionem continuam sequi possunt et omnes eas doctrinas, quas tribus annis antecedentibus perceperunt, iterum debent audire, sed addenda sunt multa eloquia sanctorum patrum et nonnulli adiungendi sunt canones conciliorum, quibus ecclesia dogmata sanxit. Hoc modo scientia discipulorum augetur, et studium religionis, novis subinde additis sententiis, excitatur. Singulae autem doctrinae multo altius petendae sunt, si discipuli ad ultimum idque supremum triennium pervenerint. Ostendendum est, quae ratio intercedat inter doctrinam divinitus revelatam et eam, quae ex mente humana proficiscitur; quae inter se pugnare videntur, explicari et falsa refutari debent; errores, qui saeculis ecclesiasticis de singulis doctrinis prolati sunt, proponi et refelli oportet. Et maxime eo nitendum est, ut iuvenes veritates christianas, quas per complures annos iterum et saepius audierint et perceperint, scholis

relictis per omnem vitam amplectantur; atque id potissimum spectandum est, ut iuvenes religionem non esse rem scientiae sed vitae intelligant et secundum eam normam vitam confirmare parati sint.

Praeter dogmata et praecepta ethica discipulis proponenda est historia sacra et biblica et ecclesiastica, et res ita quidem disponenda est, ut non solum quovis triennio sed etiam quovis anno historia narretur.

Non inconcinnum mihi videtur, in classibus infimis et mediis historiam biblicam narrari et in superioribus adiungi ecclesiasticam. Conditio discipulorum postulare videtur, ut non solum res externae narrentur, sed etiam internae proponantur et explicentur. His rebus internis imprimis adnumerandae sunt haereses. Sunt qui dicant, haereses, quae iam emortuae sint, omnino negligendas esse, quippe quae ad nostram aetatem nihil pertineant; sed iis, qui hoc affirmant, accedere non possum. Omnes enim haereses proponendae mihi videntur, ut discipuli cognoscant, in quos errores superbia humana incidere possit quibusque de causis factum sit, ut dogmata singula accurate sint circumscripta.

Haec quam exposui ratio religionis docendae haud multum discrepat ab ea, quam complures episcopi regni austriaci statuerunt. Hi enim viri maxime reverendi, qui summopere student, ut iuventus litterarum studiosa religione imbuatur, abhinc annis duobus epistolam per omnem Germaniam divulgaverunt, qua praemio proposito ad libros religionis scribendos invitant quaque methodum descripserunt, secundum quam religio in gymnasiis suarum dioecesium docenda sit.*)

*) Haec epistola promissiva perscripta est in ephemeridibus catholicis, quae Monasterii eduntur sumptibus Conradi Theissing, bibliopolae honoratissimi.

Haec discrepantia, quam supra commemoravi, maxime ex eo oritur, quod gymnasia, quae in regno austriaco sunt, aliter sunt disposita et constituta, atque ea, quae sunt in nostra civitate. Quodque enim gymnasium austriacum, quod discipuli octo annis percurrunt, in duas dividitur partes, quarum altera gymnasium inferius altera superius nominatur. Pueri, qui annum aetatis decimum agunt, in scholam infimam excipiuntur et anno decimo octavo exacto gymnasium absolvitur. Ratio igitur religionis docendae sic disposita est. Qui classem infimam frequentant, summa praecepta percipiunt, ita quidem electa et ordinata, ut aetati convenient. Anno, qui subsequitur, ritus et caeremoniae proponuntur et explicantur, quibus ecclesia in rebus sacris utitur. Duobus reliquis annis, quibus pueri gymnasium inferius frequentant, historia biblica utriusque foederis narratur eo quidem modo, ut doctrinae et dogmaticae et ethicae eruantur, qua re et fides stabiliatur et vita ad leges religionis christianae conformetur. Iuvenes, gymnasium superius ingressi, omnia religionis praecepta per tres annos iterum discunt, sed altius petita et rationibus firmioribus confirmata. Ultimo denique anno id agitur, ut historia ecclesiastica doceatur, et expositio historiae ita instituenda est, ut et dogmata ecclesiastica et mores christiani praecipue respiciantur. Episcopi maxime reverendi, viri clarissimi et illustrissimi, sperant, fore ut, ratione religionis docendae ita constituta, iuvenes scholas derelinquant fideles et pii et per totam vitam sequantur religionem optimam bene vivendi ducem. Et nos speramus, fore ut Deus, O. M. eorum coeptis et votis annuat.

De rebus tradendis satis dictum puto, iamque in eum dissertationis locum devenimus, ut de methodo docendi disserendum videatur.

II. Methodus tradendi.

Multae sunt viae, quas ingredi possimus, ut eo perveniamus, quod tendimus; sed omnes eas methodos enumerare non est in animo. Quare duas modo in medium proferam et examinabo, quarum alteram pronuntiativam vocemus, demonstrativam alteram.

Ratione pronuntiativa uteris, si veritates religionis christianae simpliciter pronuntias. Si hanc normam sequi volueris, nihil aliud debetis agere, nisi pronuntiare, proponere, explicare, proclamare, exponere, admirari, exhortari et alia huiusmodi. Quid statuendum de hac methodo? estne recipienda, an reiicienda? Neque ridendum neque dolendum esse puto, si affirmo, eam non esse tam mobilem, volubilem et lubricam, quam videri possit. Fortasse quaesiverit quispiam, quid prosit pronuntiatio, nisi accesserit argumentatio. At religio non traditur discipulis infidelibus, ut fides fundetur, sed ea pronuntiatur discipulis gymnasii fidelibus, ut fides, quam sacro baptismo acceperunt, retineatur, excitetur, stabiliatur et augeatur. Quod ut assequamur, non opus est argumentatione. Sine ulla dubitatione affirmaverim, in religione ipsa inesse vim quandam, qua homo fidelis ad fidem conservandam et augendam quodam modo cogatur. Tantum igitur abest, ut hanc methodum omnino reiiciendam affirmem, ut discipulis nonnullis bene convenire contendam.

Etsi methodus haec, quam pronuntiativam vocaverimus, nonnullis convenit discipulis et maxime iis, qui sunt ingenii minus acuti quique historiam amant eamque diligenter ediscunt, tamen conditionibus gymnasii non omnino satisfaciat. Namque inter iuvenes, qui scholas frequentant, sunt multi, qui, ut est in proverbio, iurare in verba magistri nolint. His imprimis adnumerandi sunt ii, qui acumine inge-

nii pollent et adamant mathesin, quae optimo iure philosophia iuventutis habetur. Praeterea omnes fere disciplinae, quae in gymnasiis tractantur, ita docentur, ut discipuli non solum audiant et percipiant, sed etiam rationes intelligant, quibus veritates propositae nitantur. Si igitur, quum discipuli audiant, percipiant et quantum fieri potest intelligant, eorum ingenium politur et acuitur, fieri non potest, quin vehementissime cupiant et postulent, ut sibi etiam rationes et causae proponantur et explicentur, quibus adducti veritates religionis credant et credere debeant; idque eo magis postulant, quod praecepta religionis non solum intellectu capienda sed etiam moribus exsequenda sunt. Huc accedit, ut, si discipuli in scholis gymnasii religionis praecepta modo perceperint et argumenta, quibus veritas eorum stabiliatur, non perspexerint, periculum sit, ne annis posteris, quum iis multa proferantur, quibus doctrina christiana impugnetur, fidem aut immnuant aut omnino perdant. His causis efficitur, ut methodus, quam demonstrativam supra vocavimus, adhibenda sit. Quod multi dicunt, discipulorum superbiam et arrogantiam oriri fidemque eorum debilitari, si iis religio demonstretur, hoc nullius esse momenti mihi videtur. Tantum enim abest, ut superbia excitetur, ut iuvenes litterarum studiosi, si rationes adspicientes perspicere non possint, ad modestiam ducantur. Si vero demonstrare volueris, ita debebis demonstrare, ut omnia argumenta, quibus adversarii ad debilitandam fidem utuntur, refutentur et omnes dubitationis viae obstruantur; quod ni fiat, periculum est, ne ex tua demonstratione maius detrimentum capiant discipuli quam commodum.

Non omnis demonstrationis methodus commendanda esse videtur. Demonstrationis enim genera sunt multa, quorum duo sunt notissima

et in disciplinis tractandis saepissime adhibentur. Alterum est analyticum. Hoc persequeris, si conditiones inquiris, quibus propositio data vera sit, ex iisque conditionibus, quae verae sunt sententiae, progrediens ostendis, veram esse propositionem datam. Hanc viam raro vel potius nunquam ingredi potest, qui religionem docet. Id quidem minime fieri potest, ut universam doctrinam christianam analytice demonstrares. Adhibenda igitur altera est demonstrationis methodus, quam syntheticam vocant. Eam sequeris, si dogma catholicum proponis idque verum esse argumentis demonstras, quae non solum ex sacra scriptura et ex scriptis sanctorum patrum, sed etiam, quantum fieri potest, ex ratione humana petuntur. Maxime enim id curandum est, ut demonstrares, dogma ecclesiasticum aut rationi humanae omnino convenire aut eam transcendere, ita quidem, ut ea, quae ecclesia docet, contra leges logicas non pugnent. Si discipuli hoc modo religionem docti sunt, sperare licet, fore, ut per totam vitam venerantes eam defendant, conservent et sequantur.

Attamen non est praetereundum praeceptum, quod quidem omnibus magistris et maxime ei observandum est, qui religionem docet. Verbis videlicet et notionibus utendum est prorsus claris et distinctis. Sive enim simpliciter pronuntiare volueris sive demonstrare, nullum commodum capient, qui audiunt, nisi dogma ecclesiasticum et praeceptum ethicum clare et distincte circumscripseris. Nihil prodest copia verborum, nihil iuvat orationis tinnitus, nulli commodo est fervor animi, non docet animus docentis commotus. Id semper contendi et iterum contendo. Religio enim ipsa docenda est et religio ipsa docet. Revelatio christiana eo consilio discipulis proponitur et aperitur, ut eam fide capiant et bene honesteque vivendo fidem sequantur.

Omnes autem quae feruntur fidei notiones, quibuscunque verbis descriptae sunt, eo tendunt, ut credere idem sit atque agnoscere. Non vero potes agnoscere, nisi cognoveris; et fieri non potest, ut cognoscas, nisi noveris; et non potes novisse quidquam, nisi id quocunque modo mentem tuam attigerit. Si igitur vis, iuvenes credituros fidemque integram conservaturos esse, summa cura id agere debes, ut verbis claris et distinctis explices, quid credendum sit. Non enim possunt credere, nisi scierint, quid credant; non possunt credere, nisi iis distincte exposueris et demonstraveris, quid verum sit, quid falsum, quid catholicum sit, quid haereticum; non possunt vitam agere honestam, nisi iis accuratissime ostenderis, quid sit honestum, quid inhonestum. Linea enim, quae inter verum et falsum atque inter honestum et inhonestum intercedit, non raro tam subtilis est, ut oculos intendere opus sit, si eam adspicere velis; et signis omnino claris utendum est, si eam discipulis ita significare conaris, ut videant eam et observent. Non sufficit, discipulos ea verba posse pronuntiare et iterum pronuntiare, quibus ecclesia dogma definivit; sed opus est, ut sentiant ecclesiae sententiam. Id vero non efficies, nisi usus fueris verbis claris et distinctis. Si quis negaverit, hanc curam adhibendam esse, legat scripta synodorum oecumenicarum, quibus ecclesia fidem impugnatam definivit et conservavit, legat imprimis decreta et canones concilii tridentini, ut sibi persuadeat, ecclesiam ipsam verbis omnino distinctis dogmata definivisse; hac eadem mente legat catechismum romanum, qui non solum sermone eleganti, sed etiam oratione clara et distincta conscriptus est. Sed satis superque iam de eo disputatum est, quod notionibus claris cognoscere est studendum; non amplius de re loqui opus est, quam omnes quidem assequi cupiunt, sed non omnes assequuntur. Lector mihi

benigne condonet, si in re, quae me maxime allicit, longus fuisse videar. Dici enim non potest, quantopere animus delectetur meus, si, auribus verba percipientibus vel oculis litteras adspicientibus, statim mihi obvenerit sensus ex omni parte clarus.

De methodo diximus; restat igitur, ut liber, quem me in publicum daturum promisi, paucis verbis describatur.

III. Libri descriptio.

Priusquam hanc descriptionem aggrediar, proponendum esse videtur, quot libros discipulis, qui totum gymnasium absolvunt, omnino commendatos esse velim, ut religionis praecepta commode et doceri et disci possint.

Quot sunt gymnasii triennia, tot libros adhibendos esse contenderim, ut norma, quam supra de rebus tradendis disputans descripsi, observetur. Tribus igitur primis annis, quibus discipuli sunt pueri, utendum est libro, in quo doctrina religionis capitulatim continetur. *) Si tribus annis catechismum didicerunt, per tres classes, quae deinceps sequuntur, liber iis commendandus est, in quo veritales religionis christianae eodem quidem ordine dispositae sunt, sed amplificatae et auctae et rationibus firmioribus stabilitae. Quum discipuli nonnulli, perpauci quidem, classibus mediis absolutis, a gymnasio discedere soleant, liber, quo triennio altero utuntur, ita comparatus esse debet, ut necessitudini et conditionibus eorum, qui scholis relictis non amplius religionem docentur, satisfiat. Nonnullae igitur doctrinae, quae ad vitam christianam ma-

*) Catechismus religionis scholis catholicis accomodatus a me editus est, impressus Monasterii sumptibus Friderici Regensberg, bibliopolae spectatissimi. In nonnullis scholis hic liber usurpatur. Fortasse monitionibus eorum satisfaciam, qui saepius hortantur, ut praeterea duos catechismos scribam, quorum alter altero minorem habeat formam.

xime pertinent, copiosius et altius in eo libro tractandae sunt. *) Hoc loco liceat interrogari, num iis discipulis, qui ad suscipiendam primam sacram communionem praeparantur, libellus singularis commendandus sit, quo, ut praeparatio maiore cum religione fieri possit, doctrinae et theoreticae et practicae uberius expositae sint. Alii negant, alii affirmant; ipse dubius sum, quid statuam. Qui negant, contendunt, librum, quo omnes discipuli utuntur, omnes illas doctrinas iam continere, ut praeparandi alio libro non indigeant. Qui vero affirmant, maxime ea de causa librum singularem cupiunt, quod discipuli hoc libro duce non solum ingenium, sed etiam, quod imprimis opus sit, animum facilius et melius praeparare possint. His assentiri velim. **)

Praeter hos duos libros religionis, quos discipuli per primum et alterum triennium legunt, opus est tertio libro, qui historiam biblicam et veteris et novi testamenti contineat. ***) Historia biblica in classibus inferioribus et mediis enarrata et saepius repetita, discipulis classes superiores

*) Ante complures annos librum religionis, classibus gymnasiolorum mediis accommodatum, edidi, qui Monasterii impressus est impensis clarissimae librariae Fratrum Coppenrath. Iudicium de eo perscriptum est in litteris catholicis, quae sumptibus eiusdem librariae editae sunt. Iudex benevolus multa vituperavit, plura laudavit. Quod ex annalibus patet, hic liber in classibus etiam superioribus adhibetur.

**) Haec mente edidi librum, qui inscribitur: „Die Herablassung Gottes zum Menschen. Unterricht zur ersten heiligen Communion.“ Impressus est Monasterii sumptibus librariae fratrum Coppenrath.

***) In omnibus fere libris, quibus historia biblica novi foederis narratur, is observatur modus, ut res gestae ex ordine temporis proponantur. Multo melius mihi videtur, non ordinem temporis, sed ordinem rerum sequi. Conferatur praefatio ad scriptoris libellum, qui inscribitur: „Die Sendung des Welterlösers. Geschichte unsers Herrn Jesu Christi für katholische Schulen.“ Editus est Monasterii sumptibus Friderici Regensberg. Altera pars, historiam veteris testamenti continens, adicienda est.

frequentantibus tradenda est historia ecclesiastica; quam ut memoriae facilius commendare possint, librum quendam ducem sequi debent. *)

His praemissis, librum a me edendum, quem discipulis ultimo triennio gymnasium frequentantibus commendatum velim, paucis verbis descripturus sum. Opus esse mihi videtur, ut similitudo quaedam inter hunc librum intercedat atque illum, quem ante complures annos classibus mediis adaptavi. In libro igitur utroque idem ordo observandus est, ita quidem, ut doctrinae religionis christianae una eademque ratione dispositae sint. Quod ni fiat, periculum est, ne discipuli modo hunc modo alium ordinem secuti mente et animo perturbentur. Sed non solum ordo verum, etiam res electae in utroque libro fere sunt eadem. Loci sacrae scripturae, quibus in libro, classibus mediis accommodato, veritates religionis demonstrantur, etiam in hoc libro recitandi sunt. Sed multae res, quas discipulis ordinum mediorum non proposui, aperiendae sunt iuvenibus, qui scholas superiores frequentant. Revelationem christianam veram esse, iis demonstrabo; auctoritatem sacrosanctae ecclesiae divinam argumentis tuebor, quae altius petuntur; doctrinam de attributis Dei copiosius proponam et rationem, quae inter singula attributa intercedat, accuratius definiam; quae revelatione divina de mundo docentur, explicabo refellens sententias, quas philosophi antiqui de hac re docuerunt; doctrinam christianam de homine eiusque conditione multis propositionibus amplificabo. Sed ea pars libri, qua de vita christiana agitur moresque christiani explicantur, non multum discrepabit ab eo libello, quo discipuli classium mediarum utuntur. Praeterea haereses, quae de singulis doctrinis ecclesiae coortae sunt,

*) Maxime commendari debet libellus, historiam ecclesiasticam continens, quem scripsit Clemens Siemers. Impressus est Monasterii sumptibus Conradi Theissing.

paucis verbis describentur et refellentur; nonnullae sententiae scriptorum antiquorum, qui in gymnasiis leguntur, ad marginem inferiorem subiicientur. Omnes singulae doctrinae tractabuntur non methodo pronuntiativa, sed demonstrativa, eaeque omnes demonstrabuntur non modo analytico, sed synthetico.

Plura verba facere, eo lubentius supersedeo, quod liber typis demandatus plerisque iam impressus est et paucis post diebus tenebris officinae relictis in lucem prodibit.

Sed non possum calamum deponere, priusquam nonnulla verba scripserim ad vos, iuvenes carissimi, qui gymnasio absoluto id agitis, ut in sedes litterarum altiorum proficiscamini. Gratulor, quod viam percurristis communem eamque neque facilem neque levem; instat tempus, quo alius alio disceditis. Si loco disiuncti eritis, coniuncti debebitis manere et fide et spe et charitate. Quod ut fiat, saepius legere oportet libros, quibus praecepta religionis christianae tractantur. Id non solum faciendum est iis, qui amplectentur scientiam sacrosanctam, sed etiam ii, qui alias vitae conditiones se inituros sperant, hoc officio tenentur, ne physica perscrutantes obliviscantur metaphysica neve ius humanum inquirentes postponant ius divinum. Multi sunt libri, quos legendos commendare possim. Sed si forte is liber, quem in publicum me promisi daturum, editus in manus vestras pervenerit, legentes eum memores estote gymnasii, cuius praeceptores omnes id curarunt, ut vitam agatis vere christianam. Proinde sequimini eorum praecepta et exhortationes religionemque pio animo venerantes observate leges et civiles et ecclesiasticas. Ne quid aliter eveniat, gratia divina comitante providere debetis. — Valet! —

panis verbis descriptis et rescriptis; nonnullae sententiae scrip-
 torum antiquorum, qui in gymnasiis leguntur, ad marginem testatorum
 subducuntur. Omnes singulae doctrinae tractantur, non methodo
 pronuntiativa, sed demonstrativa, caetero omnes demonstrantur non
 modo analyticis, sed syntheticis. *De rebus* et *de personis*
 Fluxus verborum, et labentis, et quodlibet, quodlibet, quodlibet
 demumque praeparatio, in impetu, et in panis post diebus, tenentis
 officinae rebus in locum, praeparatio, et quodlibet, quodlibet, quodlibet
 et quodlibet, non possumus, caetero, quodlibet, quodlibet, quodlibet, quodlibet
 scripsimus, ad rebus, caetero, quodlibet, quodlibet, quodlibet, quodlibet
 in in sedes litterarum, et quodlibet, quodlibet, quodlibet, quodlibet
 percurramus, committimus, caetero, quodlibet, quodlibet, quodlibet, quodlibet
 quo alius, alio, discedit. Et loco, hinc, caetero, quodlibet, quodlibet, quodlibet
 manere, et hinc, caetero, quodlibet, quodlibet, quodlibet, quodlibet
 oportet, hinc, quodlibet, quodlibet, quodlibet, quodlibet, quodlibet
 non solum, facendum, est, hinc, quodlibet, quodlibet, quodlibet, quodlibet
 sed etiam, hinc, quodlibet, quodlibet, quodlibet, quodlibet, quodlibet
 tenentis, et quodlibet, quodlibet, quodlibet, quodlibet, quodlibet
 humanum, hinc, quodlibet, quodlibet, quodlibet, quodlibet, quodlibet
 legentis, committimus, quodlibet, quodlibet, quodlibet, quodlibet, quodlibet
 me, quodlibet, hinc, quodlibet, quodlibet, quodlibet, quodlibet, quodlibet
 memores, caetero, quodlibet, quodlibet, quodlibet, quodlibet, quodlibet
 hinc, quodlibet, hinc, quodlibet, quodlibet, quodlibet, quodlibet, quodlibet
 et, quodlibet, quodlibet, quodlibet, quodlibet, quodlibet, quodlibet
 et, quodlibet, quodlibet, quodlibet, quodlibet, quodlibet, quodlibet
 comitatus, quodlibet, quodlibet, quodlibet, quodlibet, quodlibet, quodlibet